



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 43. Responsa S. Congregationis ad quæsitæ ex Maigroti decreto circa  
Ritus Sinensis extracta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

fui ipsius, & de jure sacratio in S. Im- Sæc. XVII.  
perio Romano-Germanico. A. C. 1701

§. XLIII.

*Responsa S. Congregationis ad quæ-  
sita ex Maigroti decreto circa Ri-  
tus Sinenses extracta.*

Tandem anno hujus sæculi quarto *Acta causæ*  
controversæ circa Ritus Sinenses *Rit. Sinens.*  
causæ decisio, quæ tanto tempore *pag. 42.*  
Universæ Europæ ac Orientis exspe- *Bull. magn.*  
ctationem suspensam tenebat, facta est. *Clem. XI.*  
Quamvis enim præter Dominicanos *part. 2.*  
ipse P. Adamus Schaal & P. Antonius *pag. 390.*  
a S. Maria Jesuitæ S. Congregationis *Vid. supra*  
decretum ad relationem P. Martinii *t. 66. l. 21.*  
Anno 1656. editum reprobaissent, ac *p. 107. & 207.*  
Navarretha & Maigroto testibus, ejus-  
dem relationem minus sinceram fuisse  
professi essent, & quamvis S. Congre-  
gatio Anno 1669. statuisset: *Decretum*  
anni 1645. esse in suo robore, neque per  
decretum S. Officii 1656. fuisse circumscri-  
ptum, sed omnino secundum quæsitum in  
dictis dubiis expressa esse servanda, ut ja-  
cet, & quamvis Lauræa & Mirobellus  
jussu S. Congregationis ad quæsitum  
P. Navarrethæ respondisset: Quod si  
obsequia illa, quæ Confucio exhiben-  
tur, sint vere politica, possint permitti,  
nequaquam vero, si Religiosa, qualia  
esse



Sæc. XVII esse decidit S. Congregatio An. 1645  
A. C. 1704 & 1669. nihilominus horum Rituum  
 Patroni decreto anni 1656. insistentes  
 editis variis scriptis, & extorto Im-  
 peratoris Sinensis assensu usum Rituum  
 prohibitorum propugnarunt. Unde  
 motis identidem dubiis tandem ulti-  
 mum Sedis Apostolicæ judicium acce-  
 dere debuit: Præprimis ergo selecti  
 Judices ac Theologi ad quæstiones ex  
 Maigroti Vicarii Apostolici decreto ex-  
 tractas sua dederunt responsa, quæ  
 postmodum diuturno, maturo, & so-  
 lertissimo examine jam Innocentii XII.  
 jussu habito, ac demum mandante  
 Clemente XI. per plures annos conti-  
 nuato discussa, auditis Cardinalium  
 Theologorum, ac Qualificatorum sen-  
 tentiis & suffragiis, a summo Pontifice  
 necnon S. Inquisitionis Congregatione  
 approbata & confirmata fuere?

Erant autem Theologorum respon-  
 sa hujus tenoris, & quidem

*Super primo Articulo.*

Ad primum Quæsitum, Sacra Con-  
 gregatio censuit, non esse adhibenda  
 nomina Europæa ad significandum  
 Deum Opt. Max. Inutilis siquidem es-  
 set eorum usus, posito quod illa Sin-  
 cis characteribus exprimi vix possint



nec ullam apud Sinas rei significatæ Sæc. XVII.  
ideam excitare valeant. A. C. 1704.

Ad secundum respondit affirmative. Si enim illis vocibus apud præcipuam Sinensium sectam, quæ literatorum huncupatur, nonnisi Cælum corporeum, & visibile, vel quædam Cæli virtus eidem Cælo insita designatur, quæcumque alia tandem eisdem vocibus significatio attribui valeat, abstinere ab eis prorsus debent Missionarii, ne ansam præbeant illis gentibus existimandi, nihil aliud esse Deum, quem Christiani colunt, quam Cælum corporeum, aut ejus virtutem.

Ad tertium similiter respondit affirmative, præsertim cum nulla hac in re adsit inter partes controversia.

Ad quartum sufficienter fuisse provisum in responsione ad secundum quæsitum.

*Super secundo Articulo.*

Ad primum. Attentis iis, quæ dicta sunt in responsione ad secundum Quæsitum primi Articuli, Sacra Congregatio respondit, permittendum non esse in Ecclesiis Christianorum appendi Tabellam, de qua agitur, nec jam appensam retineri. Etsi enim nefas omnino sit suspicari, quod aliqui Ministri Evangelici Tabellam hujusmodi in Ec-

K 3

clesiis



Sæc. XVII. A. C. 1704. clesiis Christianorum permittentes, alio animo id faciant, quam per inscriptionem in ea appositam, non Cæli materialis, sed Factoris ac Domini Cæli, adeoque veri Dei cultum explicandi; abstinendum tamen omnino est ab illa praxi, quam, juxta ea, quæ habentur apud S. Leonem *serm. 7. de Nativ. Domini*, cum quis in nostris invenerit, qui erroribus relictis Christianam fidem amplexus est, eam secum partem opinionis vetustæ, tamquam probabilem retinere possit, quam fidelibus, & infidelibus viderit esse communem.

Ad secundum. Præsupposita inscriptione, de qua agitur, respondit negative. Quod si loco inscriptionis: *Cælum colito*, proponeretur alia: *Dominum Cæli colito*, esset hæc subrogatio novæ Tabellæ, non declaratio antiquæ.

*Super tertio Articulo.*

Remissa ad alium locum quæstione, remittitur & ad illum responsio.

*Super quarto Articulo.*

Ad sex Quæsitæ hujus articuli Sacra Congregatio respondit: Christianis nullatenus, nullaque de causa esse permittendum præesse, ministrare, aut interesse solemnibus Sacrificiis, seu oblationibus, quæ in utroque Æquinoctio



noctio cujusque anni Confucio, & Pro-  
genitoribus defunctis fieri solent, tam-  
quam superstitione imbutis.

Sæc. XVII.  
A. C. 1704.

Similiter nec esse permittendum in  
Ædibus Confucii, quæ eo appellari di-  
cuntur vocabulo, quo apud Sinas Ido-  
lorum templum designari dicitur, exer-  
ceri, ac peragi a Christianis cæremon-  
ias, Ritus, & oblationes, quæ in  
honorem ejusdem Confucii fieri dicun-  
tur, tum singulis mensibus in novilu-  
nio, & plenilunio a Mandarinis, seu  
Primariis Magistratibus, aliisque Offi-  
cialibus, & Literatis, tum ab iisdem  
Mandarinis, seu Gubernatoribus, ac  
Magistratibus, antequam dignitatem  
adeant, seu saltem post ejusdem pos-  
sionem adeptam: tum denique a li-  
teratis, qui postquam ad gradus sunt  
admissi, e vestigio ad Templum, seu  
Ædem Confucii se conferunt.

Item non esse permittendum Chri-  
stianis, in Templis, seu Ædibus Pro-  
genitoribus dicatis, oblationes minus  
solemnes eisdem facere, nec in illis  
ministrare, aut quomodolibet infer-  
vire, vel alios Ritus, & cæremonias  
peragere.

Demum nec esse permittendum  
Christianis præfatas oblationes, Ritus,  
ac cæremonias, prout in Quæsitis re-  
latæ sunt, coram Progenitorum Ta-  
bellis,



Sæc. XVII. bellis, in privatis domibus, nec in eo-  
 A.C. 1704. rundem Progenitorum Sepulchris,  
 aut antequam defuncti Sepulturæ tra-  
 dantur, in eorum honorem fieri con-  
 suetas, unacum gentilibus, vel feor-  
 fim peragere, iisque ministrare, aut  
 interesse; imo prædicta omnia, tam-  
 quam a superstitione inseparabilia, juxta  
 ea, quæ in Quæsitis proposita sunt,  
 ne quidem esse permittenda Christianis,  
 præmissa publica, vel secreta protesta-  
 tione, se non religioso, sed civili, ac  
 politico tantum cultu erga defunctos  
 illa præstare, nec ab eis quidquam pe-  
 tere, aut sperare.

Cæterum per Responsa hujusmodi  
 non censendam esse damnatam præsen-  
 tiam illam, seu assistentiam mere ma-  
 terialem, quam cum gentilibus super-  
 stitiosa peragentibus, citra ullam sive  
 expressam, sive tacitam gestorum ap-  
 probationem, ac quovis ministerio pe-  
 nitus secluso, eisdem superstiosis acti-  
 bus quandoque præstari contingat a  
 Christianis: cum aliter odia, & ini-  
 micitiæ vitari non possint, facta tamen  
 fidei protestatione, & cessante peri-  
 culo subversionis.

Similiter nec per eadem Responsa  
 vetari, quominus erga defunctos per-  
 agi possint alia, si quæ sint, juxta ear-  
 um gentium mores, quæ vere super-  
 stitiosa



stitiosa non sint, nec superstitionis spe- Sæc. XVII.  
ciem præferant; sed intra limites ci- A. C. 1704.  
viliū, ac politicorum Rituum conti-  
neantur. Porro quænam hæc sint,  
& quibus adhibitis cautelis tolerari  
valeant, tum Domini Patriarchæ An-  
tiocheni Commissarii, & Visitatoris Ge-  
neralis in Imperio Sinarum, tum Epi-  
scoporum, ac Vicariorum Apostolico-  
rum illarum partium iudicio relinquen-  
dum esse: qui tamen interea omni,  
quo poterunt, studio, ac diligentia  
curare debebunt, ut gentium cæremoniis  
penitus sublatis, illi sensim a Chri-  
stianis, & pro Christianis hac in re  
usu recipiantur Ritus, quos Catholica  
Ecclesia pro defunctis pie præscripsit.

*Super quinto Articulo.*

Ad tria Quæsitæ hujus Articuli Sa-  
cra Congregatio respondit: Christianis  
non posse permitti, Tabellas Progeni-  
torum, juxta Sinensium morem, in  
privatis domibus retinere, cum inscri-  
ptione, qua Thronus, seu Sedes Spi-  
ritus, vel Animæ N. defuncti, adeo-  
que qua Spiritum, seu Animam illius  
defuncti ibidem aliquando sisti, vel re-  
sistere significetur; imo nec cum alia,  
qua Sedes, seu Thronus, adeoque  
idem ac priori, licet magis contracta,  
inscriptione, designari videatur.

K 5

Quo



Sæc. XVII.

A. C. 1704.

Quo vero ad Tabellas solo defunctorum nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, secluso scandalo, hoc est, dummodo qui Christiani non sunt, arbitrari non possint, Tabellas hujusmodi a Christianis retineri ea mente, quam ipsi illas retinent; & adjecta insuper declaratione ad latus ipsarum Tabellarum apponenda, qua & quæ sit Christianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac Nepotum in Progenitores pietas esse debeat, enuntietur.

Ad Quæsitum tertii Articuli huc remissum, Sac. Congregatio satius duxit nihil respondere; ne alias Apostolica Sedes ab eo, quem in ejusmodi controversiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere cogatur; quo nimirum ad ea, quæ sibi pro tempore, tametsi diversimode exposita fuerunt, responsa quidem veritatis semper dare, nunquam vero super expositorum hujusmodi veritate, seu falsitate pronuciare consuevit.

*Super sexto Articulo.*

Nihil certi affirmari posse quoad propositiones enunciatas in hoc sexto Articulo, nisi præhabitis plenioribus, & necessariis rerum in eis contentarum notitiis. Interea tamen committendum esse præfato Domino Patriarchæ

An-



Antiocheno, ut auditis Episcopis, & Vicariis Apostolicis necnon peritioribus Missionariis illarum Partium, hac in re id statuat, atque decernat, quod juxta datam sibi a Domino prudentiam Catholicæ Religionis indemnitati, atque animarum saluti magis expedire censuerit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1704.

*Super septimo Articulo.*

Præsupposito, quod Sinici Libri Atheismum, & diversas superstitiones contineant, prout in Mandato Domini Episcopi Cononensis dicitur, utile non modo, ac salutare, sed & omnino necessarium fuisse monitum, de quo agitur in septimo Articulo, adeoque illud esse approbandum.

Laudandam demum esse declarationem in calce ejusdem Mandati adjectam, qua dicitur culpandos non esse illos Missionarios, qui aliam praxim ab ea, quæ in ipso Mandato præscribitur, sequi hæctenus duxerunt; cum mirum videri non debeat, quod in ejusmodi materia, per tot annos discussa, & in qua, juxta diversas Apostolicæ Sedi expositas circumstantias, diversa itidem antehac emanarunt ejusdem Sedis responsa, concordēs omnes non fuerint in eadem sententia. Ita proinde hac in re agendum fore, tum a præ-



Sæc. XVII. præfato Domino Patriarcha Antioche  
A. C. 1704. no, tum ab aliis, quibus superius re-  
 sponsum executio injungetur, ut om-  
 nis quidem Ethnicæ superstitionis spe-  
 cies, ejusque afflatus, juxta Tertullia-  
 ni monitum, etiam de longinquo de-  
 vitetur: insimul tamen Operariorum  
 Evangelicorum in Vineâ Domini stre-  
 nue, ac sedulo laborantium, qui prius  
 quam supra relata Dubia, ex solita  
 hujus S. Sedis providentia, ac recti-  
 tudine dirimerentur, aliter senserunt.  
 honor, ac famæ consulatur, nec tam-  
 quam Idololatriæ fautores traducan-  
 tur; præsertim quia pleraque ex illis,  
 quæ Christianis permittenda non esse,  
 sicut præmittitur, responsum fuit, ipsi  
 quoque se nunquam revera permisisse  
 declararunt, nec dubitandum sit illos  
 finita jam causa, præfatæ sanctæ Sedis  
 mandatis, ea qua decet, humilitate  
 & obedientia esse obsecuturos.

## §. XLIV.

*Decretum summi Pontificis, quo hæc  
 responsa confirmantur.*

*Hode Hist.  
 de Louis  
 XIV. l. 156.*

Hæc responsa summus Pontifex Ca-  
 rolo Thomæ Maillard de Tournon  
 Patriarchæ Antiocheno, & in Indiis  
 Orientalibus & Sinarum Imperio, Com-  
 missario Apostolico & Visitatori Gene-  
 rali